

**I. FEBRVARII.
DE S. EPHRÆM SYRO
EDESSÆ IN MESOPOTAMIA,
S. P. N. EPHRÆM SYRI CONFESSIO ET
SVI IPSIVS REPREHENSIO,**

**siue conuersionis eius occasio, interprete
Gerardo Vossio to. 3 Oper.**

[1] Cvm in multis, Fratres dilectissimi, prodesse vobis videar, animæ quoque propriæ vtiliter consulere debeo. [Causa scriptionis, proprius profectus.] Absurdum quippe est, fame illum confici, qui cibum aliis impertitur; turpeque est, siti perire me, qui reliquis potum subministro: quod sane fiet, nisi meam ipse conscientiam reprehendero: noui enim quantum mihi illud fecisse, in futuro profuturum sit iudicio.

[2] Nam quando adhuc in seculo versabar, inimicus oppugnauit me in iuuentute, qui mihi fere persuaserat, illa quæ in hac accidunt vita, fortuito casuque fieri: contigitque mihi, quod naui alicui gubernaculis destitutæ, gubernatore in prora consistente; [Ephræm adolescens male sentit de Diuina prouidentia:] quippe quæ vel retrocedit, vel non procedit, vel etiam euertitur, nisi aliqua vel per Angelum, vel per hominem visitatione vel prouidentia subleuetur. Quod ipsum & in me accidit, qui procellarum errore agitabar, nec pericula imminencia præsentiebam: quando Diuina benignitas me, in interioris Mesopotamiæ regione peragrantem, fecit in pastorem quemdam ouium incidere: qui cum ex me, quonam tenderem, perconctaretur; egoque, quo me pedes ferrent, responderem; ad me ille: Si me, inquit, audieris, adolescens, huc ad nos diuerte, quoniam ad vesperum inclinât iam dies. Quibus ego permotus verbis, remansi

apud eum. Media autem nocte lupi gregem adorti, oves dissiparunt: cum interim pastor graui somno propter ebrietatem correptus iaceret. At domini superuenientes, me quoque tamquam reum in iudicium abripuerunt. Constitutus autem ante iudicium, me defendebam, [falso crimine conjicitur in carcerem, vti & alij duo:] & rem, vti acciderat, enarrabam. Interea vero post me adductus est quidam in adulterio (vt aiebant) deprehensus; sed mulier profugerat. Iudex autem re dilata vtrumque nostrum in eundem detrudi iussit carcerem: in quo agricolam quemdam propter homicidium detentum reperimus: sed neque qui mecum ducebatur, adulter erat; neque hic agricola, homicida: sicut neque ego ouium fur atque abactor fueram: cadaver autem propter agricolam, & pastor propter me, & maritus propter adulterum in alia seruabantur domo atque custodia.

[3] Peractis igitur septem illic diebus, aspexi octauo die quemdam secundum quietem, sic me compellantem: Pietatem cole, & Diuinam prouidentiam intelliges. Expende tecum, quæ cogitaueris, ac feceris; [ex Angelo discit, errorem illum suum plecti,] ac feceris; & ex te ipso cognosces, nihil vos iniuste pati: sed neque ipsi scelerum auctores impune euadent. Somno igitur solutus, quæ in visione aspexeram memoria mecum repetebam: peruestigatoque lapsu & errore meo, comperi me in agro regionis illius, vbi captus fueram, pauperis cuiusdam peregrini iuencam quadam malitia concitatum, media nocte e suo loco atque cubili exegisse: quam frigore languentem, [& antiquum aliud crimen:] atque vterum gerentem, bellua illuc aduentans dilacerauit, Cum igitur somnium meum, eiusque caussam, iis qui mecum erant recensuissem; ipsi quoque permoti atque admoniti, narrare cœperunt quæ sibi acciderant: & agricola quidem ante alios incipiens, Ego, inquit, [idem de se concaptivi fatentur:] dum quemdam in flumine suffocari conspicerem, cui auxilio esse poteram, manus

auxiliatrices præbere neglexi. Cuius autem mulierem, quæ per calumniam accusabatur, testimonio suo falso insimulavit. Vidua enim, inquit, hæc erat, & fratres eius hoc illi crimen inferentes, paterna eam hæreditate spoliarunt: & mihi mercedem, de qua conuenerat, persoluerunt.

[4] Quibus ego dictis atque relationibus, cæpi compungi atque resipiscere: & nos merito pœnas luere, intelligere. Quod si solus fuissem, censuissem fortasse id casu fortuitoque accidisse; at tres eramus pariter detenti. Accedebat & quartus quidam iniustus, qui nec genere cum illis qui iniuria affecti fuerant, coniunctus erat; neque conscius quidem eorum extiterat: cum nec mihi, nec sociis, quibus speciem ac formam eius descriperam, antea vnquam visus esset. Rursus autem somno captus, eundem aspicio sic dicentem: Cras conspicietis & illos, qui a vobis iniuria affecti sunt; [iudicij crastini eventum in somnis edocetur:] & calumniæ falsæque accusationis vestræ remunerationem. Experrectus, cogitabundus hærebam. Socij vero ad me, Quid, inquiunt, ita tristis es? Quibus ego causam quidem exponebam, sed exitum rei metuebam; & iam illas de casu & fortuna cogitationes obliuioni tradideram. Illi autem magna mecum sollicitudineangebantur.

[5] Transacta igitur nocte illa, sistimur Iudici, & subito adducuntur quinque vincti coram eo. Itaque qui mecum erant, multis excepti verberibus, iterum in custodiam retrusi sunt; me illic relicto. Deinde duo inprimis in iudicium adducti sunt; atque isti, fratres illius erant viduæ, quæ per calumniam ab iis paterna hæreditate fuerat spoliata; vnus autem eorum in homicidio, alter in adulterio deprehensus erat. Quæ dum ipsi crimina confessi essent, per tormenta coacti sunt & alia, quæ patrarant, [homicida adulterium, vni e prioribus falso imputatum, in quæstione fatente,] scelera confiteri.

Homicida ergo confessus est, se quodam tempore dum negotiaretur in ciuitate, cum muliere quadam consuetudinem habuisse; (hæc vero illa erat, cuius caussa vnus ex illis, qui mecum detinebantur, in custodia seruabatur) interrogatusque, quo pacto effugisset; Accidit, inquit, vt, dum obseruaremur, vicinus quidam adulteræ, alia ad eam accederet via, quasi aliquid ab ipsa vtendum postulaturus: quod cum dedisset illa, me iam per fenestram demisso, rogauit illum, vt se quoque per eandem fenestram demitteret, prætexens fœneratores ad se capiendam aduentare: quod cum ille iam niteretur facere, mox a marito eiusce mulieris comprehensus est, nobis interea aufugientibus. Ad hæc autem Iudex, Vbi, [adultero cædem, cuius alius accusabatur;] inquit, est mulier? ille autem cum locum indicasset, iussus est ad mulieris vsque aduentum custodiri. Alter vero præter adulterium, cuius damnatus fuerat, etiam se hominem interfecisse confessus est, illum scilicet, quem agricola, qui mecum detinebatur, occidisse accusabatur. Aiebat autem maritum mortuum illius esse fæminæ, quæ ipsius amore capta fuerat. Nam cum, inquit, pomeridiano tempore agrum suum inuiseret, fictæ salutationis prætextu propius accedens, confestim illum occidi, & aufugi. Affines autem cum ad clamorem occisi essent egressi, nullum inuenerunt aut viderunt, præter hominem quemdam agrestem, quem magno labore fessum, somnoque correptum, tamquam homicidam comprehenderunt, & in vincula coniecerunt. Quæ cum ille retulisset, locumque pariter ac nomen mulieris indicasset, mox in carcerem abductus est.

[6] Adducti autem sunt & tres reliqui, quorum vnus quod segetes combussisset accusabatur: alij vero duo, quod conscij & socij cædis fuissent: sed paucis excepti verberibus, quia nihil confitebantur, in carcerem perducti sunt: [in carcerem reducitur, cum iis, & tribus aliis:] audierat enim Iudex suum aduentare successorem: & ego

nulla de me facta quæstione, cum ipsis recessi. Eramus igitur in eadem, omnes custodia detenti. Iudex vero, qui adueniebat & succedebat, e nostra erat patria: sed multo ego tempore, quis & vnde esset, ignorabam. Interea autem dum plusculum nobis temporis atque opportunitatis inter quiescendi tribueretur, amicitiam contraximus. Cumque priores iam facti alacriores essent, & reliquis quæ acciderant recensuissent; in me omnes, tamquam in hominem pium atque religiosum, intendebant. [hos falso crimine captos,] Fratres autem viduæ illius, cognito homine qui contra eam patrocিনatus erat, admirati sunt. Cuncti vero rogabant me, vt si qua ratione possem, aliquid fausti ac boni adnuntiarem ipsis. Ceterum multis diebus commoratus ibi, non amplius eum, qui in somnis mihi apparuerat, vidi. Quem in fine tamen dierum iterum conspexi, [ex Angelo intelligit veri pœnas duros,] me sic compellantem: Ecce hi tres aliorum etiam scelerum rei, nunc iustas pœnas luent. Quod ipsis cum dixissem, confessi sunt duo ex eis se flagitij cuiusdam furis conscios fuisse: qui cum quemdam interfecisset propter vineam adiacentem suæ possessioni, [quod ipsi fatentur:] ei nos testimonium dedimus, hanc ipsius fuisse vineam, eumque non ab illo necatum, sed e rupe præcipitem corruisse mortuum. Alius autem tertius retulit, se ira concitatum, e tecto quemdam præter voluntatem deturbasse, quo ex casu ille interiisset.

[7] Postea rursus conspexi in somnis hæc mihi referentem: Tu cras liberaberis, [intelligit se postridie liberandum.] reliqui autem iustum subituri sunt iudicium: fidelis igitur esto, & Diuinam prouidentiam enarrato. Altera ergo die iudex pro tribunali sedens, quæstionem de omnibus nobis habuit, & exploratis quæ iam acta fuerant, ac fæminis, quæ paratæ aderant, interrogatis, æquisque testibus adhibitis; iudex innocentes absoluit, agricolam, inquam, & eum qui falso adulterij accusatus fuerat: fæminas autem torturæ subiecit, vt constaret an aliis etiam facinoribus

reperirentur obnoxiaë: comperit igitur vnam earum, odio illius qui suum adulterum prodiderat incitatum, bona ipsius incendisse: ex quo quidem incendio, [Compertis auctoribus criminum, quæ innocentibus imponebantur,] agrique depopulatione, cum quidam propius fugeret, tamquam illius auctor comprehensus est: & hic nobiscum erat; quem etiam ludex quæstione habita, quia innoxium reperit, absoluit atque dimisit. Altera vero adultera, cum in eodem esset vico, vbi duo illi comprehensi fuerant, qui in homicidio perpetrando dicebantur extitisse socij, rem omnem vti contigerat aperte confessa est. Qui necatus est, inquit, cum domi meæ ab altero viduæ illius fratre (qui meus erat amator) mecum scortari deprehensus esset, occisus ab illo est, & in biuium proiectus: concursuque hominum facto, cum duo viri quemdam persequerentur, a quo sibi hædus surreptus erat; eos alij conspicati, arbitantesque ideo fugere, quod cædem patrassent, comprehenderunt, ac carceri tradiderunt. ludex vero cum diligenter & nomen eorum, & genus, & quinam ac quales essent, explorasset, & rem omnem apertius cognouisset, [ij absoluti,] illos innoxios liberavit. Erant autem hi quinque, agricola nimirum, & qui falso adulterij fuerat accusatus, & tres postremi. Porro duos fratres, [ceteri bestiis obiecti.] & scelestas illas cum ipsis mulierculas, a feris dilaniari iussit.

[8] Tunc vero & me ludex in medium adducendum curabat, qui licet benevolentia coniunctus mihi esset, scire tamen ex me ordine voluit, quo pacto res illa ouium successisset: cui dum ego id, [ipse quoque Ephræm absoluitur:] quod vere gestum erat, retulissem, meque ex voce & nomine ille cognouisset (familiaritas enim ipsi cum meis intercesserat parentibus) quæstione de pastore habita, eoque flagris excepto, ac veritate comperta, post dies plus minus septuaginta, ab accusatione & crimine obiecto me absoluit & liberavit. Nocte deinde sequenti in somnis conspexi virum mihi dicentem: Reuertere ad locum

tuum, & de iniquitate tua age pœnitentiam, [ab Angelo iussus, pœnitentiam agit:] certoque scias vnum esse oculum cuncta perlustrantem: & grauiter ille mihi comminatus recessit, quem ad hunc vsque diem non amplius vidi. Anxius igitur, & multis lacrymis perfusus, inde abij, ignorans vtrum Deo satisfecerim. Quapropter omnium me precibus adiuuari deosco: nam vulnus mihi grauissimum accidit atque incurabile. Visionibus ego non efferor, sed impiis cogitationibus meis diuexor & angor. Apparuit & Pharaoni Angelus futura prœnuntians: sed mentem atque sententiam eius, [alienas preces implorat.] prophetia non mutauit. Dicit & Christus illis, qui nomine suo prophetauerant: Non noui vos, operarij iniquitatis. [Luc. 13. 27] Scio me vera vidisse, & re ipsa expertus sum: sed excruciat me supra modum ingens mea in Deum iniuria; nam qui dicit omnia casu fortuitoque fieri, is diuinitatem e medio tollit. Istud cogitavi, non inficior: resipui; sed an Deum mihi placauerim, nescio. De ipso prædicavi: sed vtrum verba mea ipsi grata fuerint atque accepta, me latet. De prouidentia scripsi: sed an Deo placuerint mea scripta, ignoro. ac multis interiectis.

[9] Vndique igitur, Fratres, angustiis premor, & ad meam ipsius conscientiam, evertor. Si impie rursus egero, vœ mihi: si impudentem atque arrogantem me gessero, ne caligine me opprimat vereor. Scio & Nabuchodonosor post actam pœnitentiam susceptum esse: sed eum defendit atque excusauit tum ignoratio, tum potentia: vtraque autem hac ego excusatione careo. Eram iam gratiæ particeps factus: eram de Christo a patribus institutus: qui me secundum carnem genuerant, [Eius parentes Confessores,] timorem Domini tradiderunt mihi: conspexeram vicinos pietatis studiosos; audieram multos varia pro Christo perpressos: parentes mei in iudicio Christum professi fuerant: [cognati Martyres:] Martyribus sanguine sum coniunctus. Non habeo defensionem vllam, quæ mihi patrocinari possit. Si commune carnis genus

dixero, [maiores quales?] nihil iis quos S. Iob commemoravit, præstabo. Maiores mei peregrini erant, arte & manu victum quærentes, & ex collationibus victitantes: aui mei secundis rebus vtentes, in vita agricolæ erant: & parentes mei, cum in his versarentur humili conditione erant ac genere. Qua igitur iactantia me Nabuchodonosor esse similem putabo? quæue rerum copia atque magnificentia? numquid vires giganteas habeo? numquid naturam pulchritudine gaudentem? nollem hic commemorare, quæ in pueritia gesserim, vt ne me abominandum vobis proponam. Quoniam cum adhuc iuuenis essem, [pueritia eius.] me Christianum professus sum: verumtamen paucis illis annis contumeliosus fui, & percussor, atque seditiosus, & cum vicinis contentiosus, ac invidus, in aduenas & peregrinos inhumanus, in amicos durus, in pauperes acerbus, ob res viles ac leues occurrentes pugnavi, & immodestus; improbis quoque cogitationibus vacans, atque lascivus, etiam præter tempus e incitamenti. At de his omnibus scio me veniam consecutum esse in tribunali: sed non ita de iis, quæ postea gessi, quæque post veritatis cognitionem admisi. Ideo auxilio vestro, o amici, valde indigeo.

Annotata

Videtur potius legendum, propter quos iniuria affecti estis. Ita mox calumniæ vestræ, id est, quæ vobis irrogatur.

Legit Vossius, vt hic notat. Sed quod illud tribunal, in quo se veniam consecutum certo scire potuerit? Confessionis? Numquid & cetera per eam expiare potuit, & parem de vtrisque certitudinem consequi? Ideo sollicitus est præcipue de iis peccatis, quæ post veritatis cognitionem admisit.